Nomine Auctoris.

ORATIO

DE

PACE AMBIANENSI.

Nomine Auctoris.

O R A T I O

D E

PACE AMBIANENSI.

17

MATTHIAE SIEGENBEEK,

LITERARUM BELGICARUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA PROFESSORIS ORDINARII,

ORATIO

DE

PACE AMBIANENSI,

PUBLICE HABITA

DIE XVI. JUNII MDCCCII.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD SAMUELEM ET JOANNEM LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS,
MDCCCII.
Sumptibus Academiae.

V I R I S

ILLUSTRIBUS, GRAVISSIMIS,

SUMMUM REIPUBLICAE BATAVAE
MAGISTRATUM GERENTIBUS;

NEC NON

A M P L I S S I M I S

ACADEMIAE LUGDUNO — BATAVAE

C U R A T O R I B U S.

S A C R U M

MATTHIAE SIEGENBEEK

ORATIO

DE

PACE AMBIANENSI

QUI, EX DUODECIMVIRIS SUMMUM REIPUBLICAE BATAVAE MAGISTRATUM GERENTIBUS DELEGATI, SOLEMNEM HUNC ACTUM VESTRA PRAESENTIA CONDECORATIS, VIRI GRAVISSIMI, VIRTUTUM LAUDE ILLUSTRISSIMI!

MAGNIFICE RECTOR!

AMPLISSIMI ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES!

QUI SIVE CIVIBUS ACADEMICIS AUT URBANIS JURE DICUNDO, SIVE ARTIBUS AC SCIENTIIS DOCENDIS, SIVE REBUS URBANIS ADMINISTRANDIS, ACADEMIAE VEL CIVITATIS PATRES ESTIS, VIRI OPTIMI, INTEGERRIMI!

IN

IN HIS PRAESERTIM CLARISSIMI QUARUMVIS DOCTRINARUM PROFESSORES!

QUI HIS COLLEGIIS AB ACTIS ESTIS, VIRI SPECTATISSIMI!

LECTORES PERITISSIMI!

VENERANDI ORACULORUM SACRORUM INTERPRETES!

OMNIUM ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES ERUDITISSIMI!

QUICUMQUE INSUPER HUC CONFLUXISTIS, CIVES, HOSPITES, SUO QUISQUE LOCO ET GRADU SPECTABILES!

ORNATISSIMA DENIQUE JUVENTUTIS ACADEMICAE CORONA, SPES PATRIAE, NOSTRA CURA ET VOLUPTAS!

Tan-

*

Tandem igitur laetissimus ille, et tam diu fervidis totius Europae precibus efflagitatus illuxit dies, quo pax è coelo delapsa, tanquam sol e nubibus exoriens, horrenda belli caligine oppressos populos luce sua exhilaret ac consoletur. Tandem igitur debellata est et penitus prostrata bellua illa teterrima, quae per plurium lustrorum spatium omnes terrarum partes sanguine et caede cruentavit, rapinis atque incendio devastavit, quarumvis miseriarum colluvie obruit atque inundavit. Ad tam exoptati eventus nuncium incredibile est, quanto omnium ubique animi laetitiae sensu fuerint persusi. Nec mirum profecto, a cujus belli cladibus vix ulla gens immunis fuerat, ejus exitu omnes maximopere fuisse laetatas. Quo-

cumque igitur in loco gratisſimus ille inſtauratae pacis nuncius ad aures hominum pervenit, ibi ſtatim omnes, viri, feminae, juvenes, ſenes, in amplexus ruere, ſibi invicem gratulari, oculos manusque in coelum attollere, in templa Numini dicata properare, ſummoque rerum humanarum arbitro et moderatori gratias agere quantas maximas. In hoc communi Europae, pene dicam humani generis, gaudio, una Academia noſtra, pacis artium nutrix blandisſima, nullum laetitiae documentum in publicum proferret, turpemque inhumanitatis notam ſibi inuri pateretur? Abſit, procul abſit a Leidenſi Pallade tam invidioſa criminatio, eo acrius propulſanda, quo magis literarum ſtudiis ad humanitatem excultos nihil eorum, quae ad communem hominum felicitatem pertinent, a ſe alienum ducere oporteat. Itaque, quotquot Academiae hujus gloriam caram habemus, ſummopere veſtrum, Curatores Amplisſimi! probavimus conſilium, qui felicisſimam hanc pacis per Europam inſtaurationem ſolemni oratione celebrandam eſſe cenſueritis; nec quidquam nobis jucundius obtingere poteſt, quam eos in publicum efferri laetitiae ſenſus,

sus, quibus in genus humanum, belli damna pace resartum iri gaudens, benevolentia, quibus dulcissimae patriae, candidiores sibi dies exoriri gestientis, caritas, quibus denique ipsarum artium et literarum, quae belli cladibus prostratae caput laetius sunt elaturae, flagrantissimum studium omnium nostrum animos mentesque perfundunt. Atque utinam hujus tanti et tam justi gaudii dignum atque idoneum nacti essetis praeconem, qui eloquentiae et stili Latini egregia facultate instructus rerum gravitatem ac splendorem orationis luce et majestate posset illustrare. Mihi vero, cui nec dicendi copia, nec Latini sermonis usus suppetit, cum hanc provinciam, honorificam sane et pergratam, at gravem simul et difficilem, vestra, Viri Amplissimi! benevolentia demandaverit, vereor ne vestrum hac in parte consilium improbetur, et ipse in justam temeritatis accusationem incurram, qui, ut cum poëta loquar,

ceratis ope Daedalea
Innitar pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.

 Ani-

Animum tamen diffidentem erigit ſpes, fore ut rerum gravitas et amplitudo orationis ruſticitatem et tenuitatem quodam quaſi velamine oculis veſtris, Auditores honoratisſimi! ſint obducturae, cognitaque veſtra hoc maxime die, cujus laetitia omnem moroſitatem dispellit, uſurus ſim patientia atque indulgenta. Qua ſpe ne me excidere patiamini, utque conciliatam pacem celebranti faciles aures animosque praebeatis, omni, qua par eſt, obſervantia vos rogo atque obteſtor. ——

Ut, pacatis, quibus jactati fuerant, tempeſtatibus, imminenti naufragii mortisque periculo elapſos nautas eorum, quae perpesſi ſunt, memoriam repetere juvat, quippe quorum recordatio praeſentis conditionis tranquillitatem jucundiorem reddat, ita et nos, ex procelloſis belli fluctibus tanquam in placidum tutumque portum delati, de hac pacis ſecuritate majus percipiemus gaudium, ſi atrocisſima, quae bellum peperit, mala reminiſcendo nobis ante oculos poſuerimus. Atque haec quidem animo reputanti tam latus ſeſe dicendi aperit campus, ut, unde incipiam, ubi exitum ſim inventurus, plane neſciam. Ete-

nim

nibus sive proeliorum terra marique commissorum multitudinem et atrocitatem, sive urbium expugnationes atque agrorum direptiones; sive regnorum ac rerumpublicarum conversiones, perturbationes, totumque interitum respicias, haud facile populorum annales evolventi ullum occurret bellum, quovis malorum genere hoc ultimo feracius atque horribilius. Neque una tantum alterave regio, sed universa fere Europa hujus belli incendio fuit adusta; quin imo Europae finibus non contentum in Asiam quoque atque Americam rabiem suam et furorem propagavit. Fuit praeterea, fuit novum plane et inauditum belli genus. Ipsam ejus originem a solitis bellandi caussis admodum diversam fuisse, in oculos statim incurrit. Quum enim caetera fere bella alicujus vel regionis possidendae, vel injuriae vindicandae gratia, similesve ob rationes gerantur, hujus ultimi belli illud longe dispar fuit propositum, ut regii imperii adversus reipublicae studiosos defenderentur jura. Nec minus in belli ab utraque parte sociis ejus conspicua est novitas. Quod enim aliud in historia invenias belli exemplum, in quo omnes omnium regum ac po-

pulorum ad unum debellandum populum conjunctae fuerint copiae et vires? — At cruentissimo in primis, quo gestum fuit, modo a bellis, quae antea fuerunt, omnibus hoc ultimum quam maxime fuit diversum. In aliis enim bellis vix singulis annis unum alterumve insigni clade proelium committebatur, vix una alterave magni nominis expugnabatur urbs; huic ultimo autem bello pugnarum atrocissimarum non intermissa strages, maximarum urbium continua expugnatio diriorem multo faciem induerunt. Neque in hoc bello mercenarii tantum, bellicisque operibus assueti milites, verum ipsi etiam ad alia instituti cives, sive animi fervore abrepti, sive necessitate coacti, arma in hostes tulerunt, bellumque externum omnes civilis et domestici ruinas et miserias exhibuit. Sed ferocissimi belli calamitates tum demum plane cognoscemus, si praecipuas, per quas grassatum est, Europae regiones oratione breviter perlustraverimus.

Atque hic primo quidem oculos in se nostros finitima convertit Germania, quae ut bellum suo in sinu exarsisse doluit, ita et ex parte extinctum fuisse laetata est. Hoc ve-

vero bellicarum virtutum ac vicissitudinum per decem annos theatrum, in quo, tamquam in primis, heros Moravi humanissimae singularem prudentiam et fortitudinem admirati fuerunt omnes, intuentibus quis quantusque animum miserationis et tristitiae subit sensus? Hic milites, modo cladibus exasperatos, modo victoriis elatos et feroces, messem, unicam agricolarum spem, proterve turpiterque proculcantes, miseros incolas quovis vexationum genere exagitantes, eorum tuguria villasque flammis devastantes, loca omnia terrore, caedibus implentes videas; hic expugnatarum urbium vastitas, camporum cadaverum millibus oppletorum horrenda facies se oculis objiciunt: hic morientium gemitus, vulneratorum ejulationes, viduarum orborumque, patribus liberorum lamenta aures animosque horrore percellunt.

Nec vero Italiam, tot belli pacisque artibus clarissimorum virorum olim patriam atque nutricem, unicum Minervae et Musarum domicilium, ingredientibus laetior se rerum habitus conspiciendum praebet. Hic non tantum calamitates et miseriae omnes, quibus cruen-

ta

ta proeliorum atrocitas, urbium vel rerum omnium penuria subactarum, vel vi atque impetu captarum expugnatio, caeteraque belli facinora miserandos vexant populos, verum crudeliora multo civilis discordiae et violentarum imperii conversionum mala spectatoris animum affligunt. Hic cives in cives, fratres in fratres, liberos in patres armatos; hic Italorum sanguine ab Italis cruentata arva; hic victricis partis impotentiam ac ferocitatem in subactos debellatosque misere saevientes; hic civitates in aliam modo atque aliam imperii formam, non sine insigni conturbatione, redactas, populosque per plura secula suis juribus legibusque usos alienae dominationi subjectos licet contueri. Testis mihi sis, naturae donis beatissima Neapolis, modo a regii imperii, modo a reipublicae studiosis miserrime dilaniata; tuque, orbis terrarum quondam domina et regina, Roma, easdem propemodum ac Neapolis perpessa clades; testes vos mihi sitis Lucensis Ligurumque civitas, tuque post varias atque acerbas rerum vicissitudines pacata tandem ac stabilita Italorum Respublica; testis tu denique florentissima quondam et

nobilissima, Venetorum civitas, jam gentium liberarum numero penitus expuncta. Atqui rerum in Italia gestarum memoriam repetentibus praeclara sane ac stupenda magnorum virorum ante oculos versantur facinora; tuam praesertim, unicum veterum heroum, Camillorum, Scipionum, Fabiorum exemplar perfectissimum, sago togaque, maxime Bonaparte! tuam in deliberando prudentiam, in agendo audaciam atque alacritatem, in perficiendo constantiam et perseverantiam, in mediis periculis inconcussam animi aequabilitatem et magnitudinem demiramur; qui fractis animo et corpore militibus tuo quasi afflatu novum robur addidisti, et de salute desperantes victoriae insignibus ornasti; qui juvenis nec rerum experientia edoctus veteranos et longo belli usu exercitatos duces debellasti; qui denique, ruinam minitantis reipublicae unicum columen, major Hannibale, omnibus belli copiis instructum exercitum trans summa Alpium cacumina tanta cum celeritate duxisti, ut hostis adventum tuum prius fere clade sua cognoverit, quam fama acceperit. Haec tamen quamvis eximia, atque admiratione dignissima, respiciens quis

est, qui non animum dolore et miseratione commoveri sentiat, cum tot ac tanta tropaea non sine ingenti hominum caede et jactura parta esse cogitat?

Sed jam omnes profecto exspectatis, Auditores! nos mentis aciem in illam esse regionem conversuros, in qua quae novissimo hoc tempore fuerunt gesta, bello atrocissimo caussam praebuerunt et originem, quaeque intra paucorum annorum spatium tot tamque varios rerum casus et vicissitudines, tot cum praeclara et admirabilia, tum ferocia atque horrenda exhibuit facinora, quot quantaque in omnis aevi historia memoriae prodita vix inveniamus. In hoc autem virtutum et vitiorum, sapientiae atque insaniae theatrum amplissimum properantes detinet ac moerore affligit pacata olim et fortunata Helvetiorum respublica, nunc civium suorum dissidiis foede dilacerata, perpetua exercituum irruptione atque mora misere exhausta, et devastatorum agrorum, victus inopia emaciatorum hominum lacrimabile praebens spectaculum. — At majora multo et diriora Galliam intuentibus sese offerunt, non nisi a Demosthene aliquo aut Cicerone pro rerum gravitate com-

me-

memoranda. Imperii in aliam formam mutatio, a pulcerrimis exorta initiis, mox ſceleratorum hominum conſiliis, plebisque libidine et intemperantia turpiter contaminata; rex omnium Europae regum olim potentiſſimus, et, ſi minus forte regiis virtutibus, at humanitate et clementia ſpectatiſſimus, de ſolio in carcerem detruſus & lictoris ſecuri percuſſus; libertatis ſpecie foediſſima atque atrociſſima tyrannis graſſari coepta; humana, divina omnia polluta ac violata; nobilitas, divitiae, eruditio, ipſa adeo temperantia, humanitas, caeteraeque virtutes criminum loco habitae, et quorum nullum factum dictumve poſſet culpari, ob ſilentium vultûsque habitum triſtiorem damnati: mox oppreſſo juſtaque poena affecto tam tetrae ſervitutis auctore, pacatior quidem aliquantum reipublicae ſtatus, diſcordiae tamen civilis tumultibus adhuc concuſſus; bellum domeſticum, atque omnium poſt hominum memoriam ferociſſimum; cum exterorum molitionibus, tum impotentia dominantium continuo recrudeſcens; qui rerum ſummam tenebant eorumque miniſtri omnia ad ſe rapere, populum exactionibus vexare, omnes imperii partes in deterius ruen-

 tes

tes negligere, religionis morumque probitatis nullam curam habere, dominationi suae inimicos, in eorumque numero cives optimos in exsilium mittere, exteros reges superbia irritare, donec tu, Italiae atque Aegypti victor! labanti atque in ruinam vergenti patriae, tanquam aliquod coelo delapsum tutelare numen, succurristi, afflictamque tua sapientia et fortitudine erexisti. Neque his domesticis calamitatibus minus atrocia belli externi mala miseram interea oppresserunt Galliam. Cuncti fere Europae reges populique in ejus exitium armati; omnes late patentis regni termini hostilibus copiis infestati; ad tantam ingruentis belli molem propulsandam e cunctis civium classibus juniores in militiam conscripti, bellique laboribus confecti, qui ad aliud longe molliusque vitae genus fuerant instituti; ingens Gallorum numerus in acie caesus, plurimi diriorem adhuc a vulneribus, quae acceperant, perpessi mortem; agri cultoribus viduati, liberi patribus, uxores maritis, parentes filiis orbati. Ita quovis malorum genere afflicta Gallorum respublica pacis salutiferam, ut quae maxime, efflagitabat opem; a qua sapientissimi Consulis prudentia jam

jam vulneribus suis paratam esse medicinam maximopere laetatur.

Quid vero de Hispania, Lusitania, aliisque Europae regionibus dicam, quas omnes belli calamitatibus adeo exhaustas fuisse constat, ut pacem, tanquam unicum salutis atque incolumitatis praesidium, concordibus votis imploraverint. Quin ipsa maris domina et belli spoliis opima Britannia bello etiam prospero nihil esse perniciosius suo de conciliata pace gaudio abunde probavit.

Haec vero, quae breviter enarravimus, dirissimi belli per totam Europam diffusa mala respiciens, quis nostrûm est, Auditores humanissimi! qui tam tetra tamque horrenda belli extincta peste non summopere gaudeat, et humano generi inflicta damna fausta tandem pace resartum iri toto animo laetetur? — Hinc autem etiamsi justum percipiamus gaudium, sunt tamen, fateor, sunt aliae longe etiam majores et justiores laetitiae nobis caussae, quas profecto jam dudum a me commemoratum iri exspectabatis. Etenim, si cuiquam alii Europae regioni, patriae utique, quae, ut recte dixit Cicero, omnes omnium caritates una

complectitur, pacis inſtauratio quam maxime fuit optata, quippe belli malis miſeriisque prae caeteris regionibus afflictae, atque in extremum interitus diſcrimen adductae. Regibus populisque in Gallos armatis primum foedere atque armis juncta graviſſimi belli, in ipſis Bataviae finibus geſti, exitioſam per aliquod tempus ſuſtinuit molem. Mox a victricibus Gallorum copiis ſibi ſuisque juribus reddita, laetam felicitatis, quam ſibi ſurgere geſtiebat, lucem triſtisſimis breve poſt tempus calamitatum nubibus obſcuratam doluit. Hinc veteres ſocii, noſtris damnis ſuas augere res dudum ſtudioſi, nunc etiam recens geſtorum odio atque ira incenſi, naves noſtras, vel in alto oppresſas, vel in portus ſuos delatas, ſibi vindicare, noſtrasque ad bellum imparatas in America provincias occupare aggresſi; illinc amica et novo foedere ſociata Gallorum reſpublica ad ingraveſcentem continuo vim belli depellendam Belgarum poſtulabat auxilium. — Britanni, quorum navales opes, ab aliquo inde tempore ſtupendum in modum auctae, noſtras dudum fractas non tantum ac debilitatas, ſed caeterorum etiam populorum vires maritimas longe ſupe-

ra-

rabant, omnia classibus suis maria opplebant, ipsos adeo nostrae aliarumque hostilium regionum portus obsidebant. Hinc navibus nostris mercatoriis nulla in dissitas Europae, Americae, Asiaeve terras tuta patebat via; hinc olim cognita ubique militiae nostrae navalis insignia jam nullo in loco amplius conspicere licebat; hinc maria omnia a piratis atque hostibus infestabantur, neque ipsae adeo populorum, qui in nullam belli societatem venerant, a vexationibus immunes erant naves. Eheu! quam misere tua tunc, carissimum Belgium! maritima sordebat gloria, cujus lux olim et splendor totius Europae perstrinxerunt oculos, cum classes tuae, ducibus Heinio, Trompio, Rutero, Wittio aliisque viris immortalibus, junctas potentissimorum regum copias debellaverunt, et maris libertatem, plaudentibus populis, strenue asseruerunt? Novissimis vero his temporibus, proh dolor! omnia penitus vidisti immutata atque in deterius prolapsa; naves tuae vel in portubus delituerunt a vermibus consumendae, vel, si in altum egredi ausae fuissent, praefectorum aut socordia, aut proditione, aut praevalida hostium potentia opima inimi-

cis

cis praebuerunt ſpolia. Interim mercatura, unicum rerum tuarum praeſidium et columen, cujus ope in celſiſſimum proſperitatis evecta fueras faſtigium, prorſus afflicta jacebat et proſtrata; florentiſſimae tuae in America atque Aſia coloniae, una poſt alteram, in hoſtium poteſtatem redactae; civium permulti per mercaturae cladem ad extremas anguſtias adducti, omnes tributorum, quae belli ſumptus et redituum publicorum imminutio exigebant, perpetuo ingraveſcente onere oppreſſi atque exhauſti. His ex bello ortis malis acceſſerunt civium in diverſas de reipublicae ſalute ſententias abeuntium inter ſe odia et diſcordiae; quae, etiamſi caedibus et proſcriptionibus non aeque atque in aliis Europae regionibus ſaevierunt, graviſſima tamen reipublicae damna intulerunt. Denique, ne ab ullo miſeriarum genere eſſemus immunes, belli atrociſſimi in ipſa patria noſtra exarſerunt flammae, quaeque antea narrando tantum fuerant cognitae, jam oculis noſtris ſubjectae fuerunt proeliorum ſtrages, nec niſi cum ingenti hominum caede imminentis ſervitutis propulſatum fuit periculum; a quo tamen patriae diſcrimine hunc unum, eum-

quae praeclarum cepimus fructum, bellicam Batavorum virtutem, a proavorum fortitudine non degenerem, omnibus probatam fuisse ac perspectam. Sed in hoc depellendo periculo etiamsi summi Numinis benevolentiam grati agnovimus, nova tamen haec reipublicae clades caeterorum malorum vim, quae, tanquam lenta tabes, ipsius valetudinem et vires atterebant, auxit atque exasperavit. Ita quovis malorum genere oppressi et in dies magis magisque opibus extenuati, jam illud animo moerenti praesagiebamus tempus, quo deficientibus ad eum, quem natura nobis constituit, hostem, Oceanum coërcendum ac domandum facultatibus, carissimam hanc, majorum virtute atque industria fluctibus, tanquam exuvias, ereptam patriam derelinquere, atque alibi terrarum tutius quaerere domicilium saeva nos cogeret necessitas. Sed tam horrendi mali metu Dei optimi maximi, cujus tot ac tanta in rempublicam nostram ab ipsis ejus incunabulis collata exstant beneficia, nos liberavit favor, et vulnera lenituram, afflictas res instauraturam nobis largitus est pacem. Quis igitur tam durus et vere ferreus, quis patriae sibique ipsi

tam inimicus inveniri possit, qui auspicatissimo laetis belli exitu non summopere laetetur; neque pro egregio hoc benevolentiae documento summo bonorum omnium auctori et dispensatori gratias agat quam maximas? Nos profecto, quorum sincero patriae amore fervent animi, nos omnes summam Dei optimi maximi in hac pacis instauratione benignitatem laeti agnoscimus ac venerabundi.

Est denique praeter eas, quas commemoravimus, est etiam alia nobis laetitiae caussa, quam silentio praetermittere cum haec literatorum hominum frequentia, tum meus in literarum studia amor, tum denique ea, quam sustineo, personae et ipse hic dicendi locus vetant. Etenim ex tetro belli fonte derivata in rempublicam quoque literariam late manavit clades, quam fausta nunc pace reparatum iri quis nostrum est, qui non toto animo laetetur? — Quod omnibus in bellis obtigit, ut lituorum tubarumque clangore perterritae ex diri Martis sedibus placidae migraverint Musae, idem illud novissimo inprimis bello, per totam fere Europam propagato, evenisse tristes animadvertimus. Inter violentas rerum omnium conversiones, inter continuas

proe-

procellorum strages, publicarumque calamitatum perpetuo increscentem vim et copiam, quam exiguus fuit eorum numerus, quibus seduiae literis navandae operae, earumve sua vel auctoritate vel munificentia promovendi studii facultas animusque suppeterent? Testis tu mihi sis, Minervae sacrata sedes, carissima Leidensis Academia, quae profecto, si quod aliud Musarum domicilium, quantum literis detrimenti bellum afferat, non sine gravissimo dolore percepisti. — Sed haec quodvis bellum comitari solent mala; hoc vero recentissimum inauditas quoque multoque acerbiores reipublicae literariae inflixit clades. Hic enim reges principesque literarum progressus, quos potentiae suae ruinam minitari falso sibi persuaserant, severis legibus coërcere, atque eruditionis lucem penitus extinguere aggressi; illic ferocior sordidissimae plebis licentia et furor in literatos homines, verae libertatis, non popularis libidinis patronos, tanquam tyrannidis studiosos, atrocissime grassari adorti. Hei mihi! quis quantusque nostrûm omnium animos doloris atque indignationis subit sensus ad tot illustrium virorum memoriam, qui foedissimae ty-

rannidis miserandae occubuerunt victimae? Hic tuum ante oculos teterrimum versatur supplicium, Chemicae disciplinae amicum decus et lumen, Lavoisieri sagacissime! hic horribilius adhuc nobis spectaculum exhibes, philosophiae veraeque libertatis vindex, Baillyi, acerrime, quem in ipso mortis limine per plures horas foedissimae plebis ludibrio expositum impura tandem lictoris manus securi percussit. Sed his tam atrocibus atque horrendis sceleribus diutius immorando hujus diei perturbare nolumus laetitiam. Neque ea commemorare animus est, quae in hac nostra etiam republica civilis discordia literis attulit damna, quaeque sapientium virorum consiliis jam omnia resarta esse, boni laetantur omnes.

In te potius oculos mentesque convertimus, rerum, quas homini novisse datum est, omnium Pax optima et praestantissima! Te, quotquot communem hominum felicitatem, quotquot patriae incolumitatem, quotquot literarum incrementum curae cordique habemus, te amplectimur, te fovemus, te, tanquam humani generis, Belgarumque imprimis tutelare numen, atque artium et disci-

plurimum blandissimam nutricem, salutamus et veneramur omnes. —— Hoc vero tam eximium redditae pacis beneficium, etiamsi primo loco summo bonorum omnium auctori, cujus providentia, ut in omnibus populorum per novissimum bellum fatis, ita in ejus praecipue compositione quam maxime fuit conspicua, grati piique acceptum referamus, illorum tamen non praedicare laudes nefas esset, quorum opera atque consilio bellum, omnium, quae gesta fuerunt, atrocissimum, fuit extinctum. Atque hic inprimis singularis tua mihi celebranda est prudentia ac temperantia, Reipublicae Gallicae moderator sapientissime! qui patriae conservatoris, quo omnium consensu ornatus eras, titulo hunc augustiorem etiam addideris, ut Europae, in suum armatae exitium, pacator jure tuo praediceris. In tam praeclarae laudis societatem vos quoque merito venire grati agnoscimus, qui in nobili illo Ambianensi conventu ad conficiendam pacem fuistis delegati; inter quos tuam, Belgicarum rerum vindex facundissime! ad patriae commoda promovenda indefessam alacritatem, in conciliandis discordium animis admirabilem prudentiam excelluisse non

vano rumore fuit celebratum. — Vos etiam oratione mea illaudatos finere indignum foret, patriae nostrae Proceres honoratissimi! qui, cum virtutum vestrarum luce ac splendore, tum legum & institutorum sapientia et gravitate, infuscatam reipublicae majestatem illustraveritis, et antiquam Batavi nominis venerationem instauraveritis; quod quantum ad faustam componendam pacem habuerit momenti, me tacente, omnes facile intelligunt. — Quos vero et quam dulces laborum vestrorum fructus jam capitis et in posterum magis etiam capietis, Viri omni laude dignissimi! quotquot ad conciliandam pacem operam et consilium adhibuistis. Vix enim laetissimam suam Europae faciem ostendit pax, quin et ejus commoda in omnes diffusa fuerint populos, non belli tantum miseriis exemptos, sed et quovis bonorum genere cumulatos.

Tutus bos etenim rura perambulat;
Nutrit farra Ceres, almaque faustitas;
Pacatum volitant per mare navitae;
Culpari metuit fides.

In mutuum exitium diu armati populi, jam foedere et ami-

amicitia juncti, sua invicem studento amplificare commoda; diras belli artes placida humanitatis studia excipiunt, quaeque diu sorduerunt, literae et disciplinae nova jam dignitate exornantur, pacisque radiis fotae laetius efflorescunt. Quocumque oculos convertas, omnes ubique regnorum et rerumpublicarum moderatores licet videre, immodico vectigalium oneri levando, obstructis publicae prosperitatis fontibus aperiendis, dissociatis civium animis conciliandis, eruditioni, egregiae civilium virtutum altrici, promovendae, collapsae religionis reverentiae morumque honestati restituendis unice intentos. Erit profecto, erit, ut violentorum terrae motuum, aliarumque naturae perturbationum, ita et hujus, qui Europam concussit, tumultus fructus aliquis humano generi saluberrimus. Etenim, si quod unquam tempus, utique hoc ultimum sapientiae civilis praeceptis fuit uberrimum; quorum eo major in omnium animos erit vis, quo tristior fuerit, quae illa dedit, experientia. Hinc non vano augurio licet ominari, populos principesque, tum unicum auctoritatis publicae in civium benevolentia praesidium esse positum, tum communem felicitatem minus ex

re-

regiminis forma, quam ex civium et magistratuum concordia, et probitate pendere, haud dubiis, quae recentissima exhibuit aetas, argumentis edoctos, ejusque cognitionis vi salutifera hos ab injustae potentiae cupiditate, illos a rerum novandarum libidine revocatos, in posterum operam atque industriam amice, esse collaturos, quo omnium felicitas firmis radicibus innitatur. Misso itaque perverso populisque exitioso imperii finium proferendorum studio, reges principesque, legum et institutorum sapientia atque utilitate regali statum confirmare, subditorum fortunas augere, mentes animosque humanitatis studiis imbuere, virtutibus ornare, in civium amore, non in satellitum copia regni praesidia quaerere, et Titis potius atque Antoninis, quam Alexandris et Juliis annumerari studebunt. Multo etiam magis rerumpublicarum moderatores omnes cogitationes, omnes vires unice eo contendent, ut civium animi blandis concordiae copulis socientur, utque industria, fides, temperantia, caeteraeque civiles virtutes, quibus sublatis libertatis non nisi vanum nomen est et umbra, atque ipsa adeo civitatis incolumitas in extremum discrimen adducitur,

ab omnibus in honore habeantur, ſedulo et ſincere excolantur, adeoque libertati, publicaeque felicitati firma ſubſtruant fundamenta. — Ita novus populis, isque pulcerrimus per pacem naſcitur ſeculorum ordo; ita ex denſisſimis tenebris lucem ſplendidisſimam, ex foedisſimis calamitatibus veram ſtabilemque humano generi felicitatem exorturam juſta nobis perſuadent omina. — Tibi inprimis, dulcisſima Patria, tibi pacis inſtauratio egregia pollicetur commoda; quorum jam aliquos te fructus percepisſe laeti animadvertimus. Quae in hoſtium fuerant ditione, redditae tibi in Aſia atque America coloniae ſuas jam tuum in gremium effundere coeperunt opes; navibus tuis diu praecluſa jam quolibet terrarum per mare patet via; mercatura, cujus clades certam tibi ruinam minitatur, afflictum diu caput jam laetius in coelum attollit, variosque civium ordines donis ſuis beat atque exhilarat. Quae per aliquot annos fluctibus jactata fuerat, reipublicae navis, nuper prudentium gubernatorum opera in tuto portu collocata, ne denuo undis et tempeſtatibus objiciatur diro per pacem ſolvimur timore. Tam fauſtis ex auſpiciis laetisſimam

D fas

fas est concipere spem, fore ut patria nostra, apertis, quos bellum obstruxerat, felicitatis publicae fontibus, et civium industria per totam late rempublicam manantibus, pristinum decus et splendorem recuperet, atque inter beatissimas Europae regiones insignem obtineat locum. Hinc et Musarum inter nos domiciliis, tibique inprimis, Leidense Palladis sacrarium! novam felicitatis emersuram esse lucem hilari auguramur animo; cujus utinam non vanum me fuisse augurem laeta confirmet experientia! Haec vero quin eventum habitura sint vota, dubitare nos vetant cum cognitum Belgarum in bonas literas studium, tum praestantissimorum inprimis, qui reipublicae clavum tenent, virorum eximia sapientia et ad humanitatis studia promovenda probata jam alacritas. — Sed erunt fortasse quidam tristioris ingenii homines, qui post gravissimas, quas ultimo bello perpessa est patria nostra, clades, omnem spem de publica denuo felicitate instauranda prorsus abjiciendam esse existiment. Hos vero, ut reipublicae a primis ejus initiis historiam sedulo perpendant, quam maxime monemus atque hortamur, ita nimirum tristitiae, quae animum in-

infuscant, nebulas dissipatum iri certo nobis persuasum habentes. Quod enim efficacius doloris inveniri possit lenimen, quam quod ex hac solatii plena, quam patriae historia exhibet, observatione petitum sit, post reipublicae nostrae tempora maxime nubila, singulari summi Numinis benignitate, serenissimos semper exortos fuisse dies? Testis hic mihi universa patriae nostrae post extinctum bellum Hispanicum historia, e qua ductis argumentis ea, quae dixi, confirmare, ut res probatu est facillima, profecto aggrederer, nisi me coram iis dicere intelligerem, qui illius historiae haud levi cognitione imbuti hanc probationem nequaquam sint desideraturi. Quidni igitur blandissimam animo foveamus spem, fore ut, supremi rerum omnium Gubernatoris, quem supplices veneramur, benevolentia, respublica nostra ad illud denuo prosperitatis et splendoris evehatur fastigium, ut, dum domi beati fortunatique sint cives, foris si minus populis regibusque jura dare, id quod ad inanem potius gloriam, quam ad solidam felicitatem pertinet, attamen suam apud exteros dignitatem nominisque existimationem possit tueri? — Hac autem tam laeta

animos incassum demulcemus spe, nisi, confirmata apud omnes veneratione religionis, quae una morum honestatis fidelissima est custos, cives proceresque nobile virtutum ineant certamen, et, extincto omni propter sententiarum divortia odio, concordibus animis viribusque publicam augere studeant felicitatem. Atque utinam hic mihi Demosthenis vel Ciceronis suppeteret facundia, ut orationis meae quasi fulmine omnium animos percellere, civesque meos ad earum virtutum constans et sincerum excitare possem studium, quibus sublatis certa patriae instat ruina. Etenim si omnium, quae nostram afflixerunt rempublicam, malorum indagemus originem, in civium praecipue discordia illam fuisse positam deprehendemus. Recentissima vero Europae historia nonne evidentissimis probavit argumentis, civitatum, non dicam libertatem, sed ipsam adeo incolumitatem in extremo versari discrimine, nisi civium et concordia et virtute fulciantur? Denique, quo majorem haec in animos nostros habeant vim, ad praesentem reipublicae nostrae conditionem attendamus; quam profecto, aucta finitimorum poten-

tia

tia, nostrisque debilitatis viribus, ejusmodi esse omnes facile perspicimus, ut letali quasi morbo affectis rebus a civium ad publicam felicitatem stabiliendam consensu, et a virtutum, quibus illustres ornati fuerunt proavi, redintegratione unicum parari possit remedium. — Itaque quotquot vero nomine Batavi dici gaudemus, quotquot patriae incolumitatem et splendorem curae cordique habemus, exitiosas discordiae scintillas penitus extinguamus, nec quidquam praeter communem omnium salutem spectantes, industria, fide ac probitate, quarum virtutum gloria prae omnibus Batavi excelluerunt populis, inclinatas jam atque in ruinam vergentes restituere res, pristinamque reipublicae nostrae dignitatem conciliare studeamus. — Per patriae, erga quam et barbararum gentium insignis solet esse pietas, per patriae, cives carissimi! amorem, per majorum nostrorum, qui opum sanguinisque cum jactura pulcerrimam hanc fundarunt civitatem, sanctissimam memoriam, per liberorum ac nepotum, quorum pro parentum probitate vel improbitate laeta tristisve futura est conditio, curam, caritatemque vos oro atque obtestor, ne ve-

stra socordia, virtutumque contemtu Batavorum nomen exteris ludibrium reddatis, et inevitabile reipublicae patriis exitium. His meis precibus suas Patria addit preces, cujus hanc mihi videor ad cives suos audire vocem: Nolite committere, Belgae carissimi! ut, quae eximia supremi Numinis benevolentia, post tot exantlatas calamitates, post tot gravissima rerum discrimina, ad hunc usque diem sospes fui atque incolumis, hujus recentissimi, quo divinus me beavit favor, beneficii plane destituar fructu; nolite, obsecro, turpissimam hanc memoriae vestrae inurere notam, ut infanda barbarisque exsecranda impietate in me, quae vestrûm omnium mater et sum et feror, atrocissime saeviatis, atque in meum conjurasse exitium dicamini. — Non profecto, dulcissima Patria!, non profecto nefarium hoc committemus piaculum. Haerent adhuc Batavorum animis, haerent infixa virtutum reverentia, pietatis atque in patriam amoris sensus, supremi rerum omnium auctoris cultus ac veneratio. Tuis evicti precibus discordiam ex suis jubebunt exsulare finibus, concordiaeque comites adjungent reliquas virtutes omnes;

qua-

quarum ope ad priſtinam ſplendoris imaginem reipublicae formari posſit facies.

Vos utique, vos omni, ut hoc efficiatis, opera atque induſtria enitemini, reipublicae noſtrae Proceres gravisſimi! quorum praeſentia ſolemnem hunc actum condecorari, laeta gloriatur Academia. A quo enim tempore publicarum rerum adminiſtrationi praefuiſtis, inſigni cum gaudio boni omnes intelleximus, nihil magis vobis curae cordique eſſe, quam ut civium inter ſe disſidia atque odia evellantur, religionis, quam prae reliquis populis ſanctisſime ſemper venerati fuerunt Belgae, inter ipſos reverentia inſtauretur atque confirmetur, adeoque praeclarae proavorum virtutes novo cum ſplendore efflorescant. Nec veſtrum quoque in bonas literas amorem, cujus vel hic ipſe dies luculentum nobis exhibet indicium, obſcuris comprobaſtis argumentis. Sic enim merito vobis perſuaſum habetis, nihil ad civiles alendas virtutes magis valere, quam humanitatis atque eruditionis ſtudium. — Veſtris itaque ſub auſpiciis novam patriae noſtrae felicitatis exorturam eſſe lucem, egregia pacis commoda omnes

nes civium ordines esse beatura, literas denique earumque Scholas, quas inter clarissimi hujus Musarum domicilii haud infimam vobis curam fore speramus et confidimus, majora quotidie habituras esse incrementa hilari animo augutamur.

Tu vero, Deus optime maxime! qui eximia tua in patriam nostram beneficia hoc praestantissimo redditae pacis beneficio cumulasti, tu haec piae mentis vota atque auguria felici rata fac eventu! Tu omnium nostrûm animis eam Numinis tui venerationem, eum virtutum inspira atque infige amorem, ut in dies digniores evadamus, qui benevolentiae tuae fructus capiamus laetissimos! Tu pacem, qua populos donasti, omnibus stabilem redde ac perpetuam; tuaque providentia effice, ut homines, per sua vitia et errores virtutibus et sapientia aucti, solidae tandem felicitatis fiant participes, et vere aurea, a ferreis nunquam excipienda, cursum sibi ordiri gestiant secula!

A N-

ANNOTATIO AD PAGINAM 29.

Solatii plenam obſervationem, ex hiſtoria patriae petitam, quam in ipſa oratione paucis tantum commemorare potui, hoc loco uberius a me explicari et depromptis ex ipſa historia exemplis confirmari, lectoribus, ut opinor, neque injucundum erit neque infructuoſum. Age igitur hanc hiſtoriam a reipublicae noſtrae initiis, ſive a bello Hiſpanico breviter perluſtremus. In ipſo illo bello, ad quod gerendum hoſtilibus longe inferiores vires noſtri contulerunt homines, ad quas anguſtias Belgarum res fuerint adductae, hiſtoriae patriae non plane imperiti noverunt omnes. Ne jam pervulgatum illud Gulielmi I[i], deſperatis rebus, conſilium, quo hujus regionis, perfoſſis aggeribus, cum conjugibus, liberis opibusque dereliquendae auctor fuiſſe perhibetur (*), in memoriam re-

(*) Vid. HOOFT *Ned. Hiſt.* XI. B. bl. 452. et WAGENAAR *Vad. Hiſt.* VII. 88. et 89. De ipſa tamen dati conſilii veritate probabiles ob cauſſas dubitat antiquitatum Belgicarum peritiſſimus VAN WIJN in Annotationibus ad opus Wagenarii, inſcriptis *Aanmerk. en Byvoegſ. op de Vad. Hiſt. v. WAGENAAR.* Conferatur etiam doctiſſimus STIJL in opere egregio *Opkomst en Bloei der Vereenigde Nederlanden*, p. 160. et ſeqq.

vocem, quis neſcit, extincto hoc libertatis vindice, reipublicae gubernatores, ſuis viribus hoſtilem vim ſe repulſuros deſperantes, et defuncti principis, ut quidem exiſtimabant, auctoritatem ſecutos, ſupremum Belgii imperium ad Gallorum regem et paulo poſt ad Britannorum reginam fruſtra detuliſſe (*); e quo conjecturam facere licet, quam triſtis fuerit rerum noſtrarum conditio, cum exteri reges oblatum ſibi imperium detrectaverint. Nihilominus in ipſo etiam hujus belli curſu tantopere noſtrae reipublicae creverunt opes, ut initio ſeculi XVII. (†) Hiſpani cum noſtris pepigerint inducias, quae nobis tum honeſtiſſimae, tum utiliſſimae, Belgarum nomen regibus populiſque venerabile reddiderunt. Ab eo inde tempore viribus magis magisque auctae Batavorum reipublicae potentiſſimi reges populique foedere ſociari geſtiebant; neque ulla fere majoris momenti in Europa gerebatur res, in qua noſtra non magnopere valeret auctoritas, praecipue poſtquam bellum Hiſpanicum A°. 1648 hoſtium cum dedecore noſtraque inſigni gloria plane eſſet compoſitum. Etiamſi enim poſt hoc tempus bello aliquoties laceſſiti fuerimus, noſtrarum tamen rerum continuo increſcente flore gaviſi fuimus Belgae, Janique inprimis Wittii, viri incomparabilis, prudentia atque conſiliis, in publicis

En-

(*) Vid. WAGEN. *Vad. Hiſt.* VIII. 54—67. et 88—91. Conf. etiam STIJL in opere citato p. 204. et ſeqq.

(†) Anno ſcilicet 1609. Vid. WAG. *Vad. Hiſt.* IX. D. XXXVII. B.

Europae negotiis adminiſtrandis magnum apud nos fuit momentum. Haec rerum facies penitus fuit mutata A°. 1672, cum a Galliae atque Angliae regibus ſimul bello petiti, invadentibus et magna ex parte jam occupantibus has terras Gallorum copiis, in extremum interitus diſcrimen fuimus adducti. Sed hoc tam anceps periculum cum noſtrorum fortitudine, tum divinae providentiae favore a noſtra propulſatum fuit republica; Belgarumque res pace Neomagenſi A°. 1678 confecta in integrum fuerunt reſtitutae. Dein respublica noſtra domi forisque priſtinum decus recuperavit, civiumque fortunae, mercaturae et commerciorum ope, per omnes terrarum partes propagatorum, inſigni habuerunt incrementum. Mox autem bello, atque inprimis acerrimo illi de ſucceſſione Hiſpanica geſto iterum immixti, quamquam ſatis proſpera uſi fortuna, opibus tamen per belli graviſſimi impenſas miſere fuimus extenuati, neque ſociorum perfidia aliquem ab illo, per pacem Trajectinam A°. 1713 compoſito, cepimus fructum, quo aerarii publici civiumque damna aliquatenus repararentur. Stabili tamen ab hoc inde tempore per plures annos laetata pace patria noſtra imminutas civium ſuorum fortunas denuo adauctas, publicique aerarii reſarta vidit detrimenta, adeoque, vigente etiam ſua apud exteros auctoritate, priſtinae reddita fuit dignitati ac ſplendori. Laeta haec rerum noſtrarum conditio continuata fuit usque ad A°. circiter 1740, quo anno et proxime ſequentibus belli propter hereditatem Auſtriacam geſti ingenti ſuo

cum detrimento magis magisque noſtra conſors facta fuit reſpublica; quin imo a victricibus Gallorum in Brabantia Flandriaque copiis, ipſas etiam Belgarum terras Aº. 1747 proſpero cum ſucceſſu invadentibus, in extremas anguſtias fuit adducta. Verum hoc etiam ſupremi Numinis benevolentia feliciter evaſimus periculum, et res noſtrae, pace Aquisgrani Aº. 1748 confecta, ſartae tectae manſerunt. Ab hoc tempore ad noſtram usque aetatem conſtans pax reipublicae damna reparavit, effecitque, ut, ſi minus priſca illa apud exteros auctoritate, at fortunata civium floreret conditione. Quibus vero ultra hos viginti annos continuis afflicta fuerit calamitatibus, memorare nihil attinet, utpote quarum triſtiſſimam omnes habuerint experientiam. Illud interim ex brevi hac hiſtoriae patriae perluſtratione evidentiſſime patere arbitror, poſt reipublicae noſtrae, quemadmodum in oratione dixi, tempora maxime nubila ſereniſſimos ſemper ſecutos fuiſſe dies, adeoque certis hiſtoriae documentis inniti ſpem, fore ut ex compoſita nuper per Europam pace patriae noſtrae nova felicitatis lux ſit exortura.